dentiores autem explere curiosi animi studiũ, his hominibus visis qui rem inauditæ turpitudinis cogitare potuissent. Omnes deniq; eos vsurpare oculis velle à quibus mente ac animo immane abhorrebant. Vt omnino miseri illi hoc publico spectaculo Numinis auersam à sceleribus iram, vltricémque, testarentur.

Quid in posterum in eos decernatur, ad regijs iudicibus, publicóq; regni consilio permissum. Ac vt nemini bonarum partium homini ambigendum est, quin, maturis omnibus, sint iustis publicisq; supplicijs perituri; ita nec parcendum votis est, vt ille magnus rerum omnium opifex, in cuius manu sunt Principum omnium corda, Regi nostro Optimo illam mentem inijciat, qua fœlix fortunatusq; huic veluti spectaculo exitus inueniatur, quod in Tragœdiam coniuratis, in Tragico-Comœdiam Regi, nobisque omnibus, cessit; Vt hinc & honori Numinis, & religionis bono, securitati præterea Regis ac totius Imperij prospiciatur; Vt facinorosorum omnium turpes animi & deprehendi & pręcaueri possint. Vt hoc denique flagitium (cuius atrocitati non inuenio nomen) ita iustis coërceatur supplicijs, vt qui Catholico reuera ac vniuersali

impetu

impetu cogitabant ad Tyranni Romani votum, vnicam populo ceruicem optantis, peruenire, ſulphuriſque ſui fulmine Iani noſtri poſtes ſecuriſsima pace obſeratos recludere (quibus tamen artibus Numinis in nos clementia obſtitit) ij hanc turpiſsimi parricidij mercedem ferant, vt quæ totam gentem noſtram inundaſſet infamia, quę hęc Coquatricis oua incubuit, in ipſos omnis edito nobilis Iuſticiæ exemplo conferatur; & magis illuſtre, facinus vindicaſſe, quàm facinoroſos genuiſſe Britanniæ turpe ſit. Ita regio his purgata ſordibus tuta ſecuráque pace floreat; ſanctiſsimi Regis & optimorũ ciuium animi arctiſsimis nexibus coniungantur; Ac vt illi nos, noſtrámque memoriam delere cogitabant, ita eorum ad ęternam ignominiæ notam memoria (quod initio precatus ſum) cum immenſis in Deum gratijs cuius nos clementia incolumes pręſtitit, ad poſteros tranſmittatur. Neque erit aliquis, ſcio, incorruptæ fidei Britannus, qui his iuſtiſsimis votis lętus libénſque non ſubſcribat.

* *
*

Vt egregiè *Æneas Syluius* de cæde *Iacobi* primi Scotiæ Regis, & ſupplicijs in interfectores decretis, ſcribit; cuius rei ipſe oculatus teſtis fuit, *hiſt de Europ cap.46.*

Salisbury, Robert Cecil, 1st earl of, 1

RESPONSIO AD LIBELLVM *quendam famosum*, CATHOLICÆ AD-MONITIONIS PRÆ-textu in vulgus sparsum.

Per Robertum Cecil, comitem Salisburiensem.

Qui facit viuere, docet orare.

LONDINI
Excudebat *Robertus Barker*,
Regius Typographus.
ANNO 1606.

J B.

RESPONSIO AD LIBELLVM QVENDAM FAMOSVM, CATHOLICÆ ADMONITIONIS prætextu in vulgus sparsum.

VM apud me iampridem cõstituerem, mentem meam à terrestri Theatro in quo sedebat auocare, vbi ea curis illis & cogitationibus quæ Rempub. capessentes comitantur, anxia, varias hominum molitiones aspectabat, sperarémque eo pacto aliquo cum ijs frui oblectamento qui à publicis negotijs mutuari solent, quod otio priuato ac contemplationi largiantur: persuadebam equidem mihi, nunquam meditandi argumentum me luculentius electurum, quàm nouissimè editum, Tractatum illum, qui inscribitur, *Oratio Regia, in Parliamenti*

menti confessu nuper habita, vnà cum annexo Commentario, quo Coniurationis, non ita pridem habitæ deprehensæq́, modus explicatur. In quo tot vera ac viua simulacra Diuinæ prouidentiæ, ac immensæ benignitatis, oculis nostris obuersantur, (qualibet linea *Apellis* manum indicante) vt qui proditoriæ arboris istius, natiuam, & in *Ramo* & in *Radice*, descriptionem obseruent, verè possint affirmare, nullo nos *Elisæo* temporibus nostris indigere, qui regi narret Israëlitico, quid suis in Concilijs intimis *Aramitæ* machinentur. In quo quidem verè regio ac religioso opere, Serenissima Maiestas regia, (regum illorum similis, de quibus *Seneca*, qui plus exemplo quàm legibus prosunt) arctiore nos obsequij vinculo obstrinxit, relicto nobis tam aperto & integro, suáque manu obsignato, gratissimi animi sui erga Deum omnipotentem monumento, pro ipsius tanta & ad miraculum vsque bonitate ac gratia; vt nec Tempus præsens, nec sæcula subsequentia tam ingrata sint futura, quin eadem memoria colant sempiterna. Officium quidem, quod à cunctis suis creaturis Deus exigit; *Non ad*

præ-

præmium, ſed ad honorem. Sicut enim inter omnes animi præcellentes facultates (poſt intellectum) quoad neceſsitatem & vſum, memoria primum locum obtinet; ita in obſequiorum illorum omnium quæ Deo debemus ratiocinio (qui vult potiùs, vt quis erga nos fuerit, memoria teneamus, quàm in ſeipſo quid ſit curioſiùs inquiramus) prima eſt Memoria, & primùm præcepta. Facultate hac belluis præſtamus, Angelóſque imitamur: Hi enim præſentes vno intuitu bonitatem charitatémque Dei in ipſius Deitatis ſpeculo contuentur; nos autem in terris agentes (in operum ſuorum tabula) præſenti plenóq; conſpectu, abundè ſatis, qualis Deus fuerit intuemur. Ita vt, quem in ſeipſo conſpicere haud valemus, per media tamen ſeorſim contemplemur, præſertim in maximis illis liberationum defenſionúmq; operibus, quibus nationibus populiſque integris, aduerſus publicas priuatáſque hominum improborum machinationes, proſpicit. Si ergo vel immemores extiterimus, vel ſufficere cogitauerimus, ad diem vel annum, humilimæ gratitudinis noſtræ tributum illi repen-

dere, quando & ipsi Ethnici Dijs suis ementitis Cynamomum ac Thus suum semper offerant; non minore, quàm illo Israëlitarum errore laborabimus, quorum laudes & preces, vnà cum Maris rubri transitu, penè desierunt.

Verum enim-vero, dum in hac seria & secreta Meditatione versarer, (nunc immensitate diuinæ misericordiæ ac iustitiæ abreptus, quæ sceleratorum impetus cohibet, sicut & à *Pauli* manibus viperam discussit: nunc oblectatus fœlicitatis meæ dies numerando, quod sub tanto Rege viuerem, qui in seipso beatus, fœlix in Oliuæ suæ palmitibus, amabilis hominibus ob integritatem & prudentiam suam, Deo etiam imprimis charus pro illo suo zelo ac studio, regni sui vasa, à fœce & sordibus vrbe *Romanæ*, penitus expurgandi:) Etiam cùm mihi animus, delectatione non mediocri gestiret, vel minimam nominis mei mentionem, in eius Commentario conspicari, quòd operâ aliqua saltem meâ, in Coniuratione hac è latebris eruenda, vlli fuissem vsui: (homini misello persimilis, qui multis pòst annis sibi gratulatur, vbi structu-

ram

ram illam splendidam fortè præterierit, cui construendæ, ligna se aliquot paucula lapidésque meminerit comportasse) Etiam tum inquam acerbissimis calumnijs proscindebar, multis in me famosis schedulis & Pasquillis, varijs per vrbem locis disseminatis, nullo certo authore; ita tamen perpetuò ac serie quadam, (quasi *Iobi* nuncijs in me irruentibus) vt nec excogitare possem, ad quem me conuerterem, cui primùm responderem, nec satis animo assequi, quonam meo fato malo, eorum in me rabiem concitaueram, qui tantæ acerbitatis me argumentum, in tanta hominum lætitia ac gaudio, sibi delegisse videbantur. Imò etiam tunc, cùm mihi persuasissem, illos qui conscientiæ quodam scrupulo, quantum ad officia nostra attinet sacra, à nobis sese prorsus seiunxerant, plectrum cytharis admouere, & se nobiscum, lætisonis hymnis, quòd tanto nimus periculo tam fœliciter erepti, coniungere voluisse. Atque hîc diu mecum disceptans, an iam verborum certamen inchoarem, qui tam diu patientiæ stolam induissem, præsertim aduersus quenpiam eorum, quibuscum disputatio

tatio omnis infinita est, vtpote quibus clamor est propositus, sine omni studio vt sibi satisfiat. Postquam obseruantiam & obsequium, quæ erga Principem meum semper in me viuunt vigéntque, in consilium secretum conuocâssem, & attentiùs animo & cogitatione perluſtrâssem, quàm facilè ministrorum publicorum errores, in principes optimè meritos retorqueri possint; ab exteris etiam regionibus inaudissem, quàm latè nomen meum, vt hominis sanguinarij, proscriberetur: E loci quem teneo ratione, ac dignitate esse duxi, ansam aliquam amplecti, verbis mè disertis clarè distinctéq; expediendi, atque explicandi, ne nubium vlla earum, quæ in me immeritò obuertuntur, regij illius animi (mitissimo clementiæ ac moderationis rore semper irrigati) splendorem obscuraret.

Proinde quamuis me minimè lateat, ***Stylum prudentiæ esse silentium***, cautelæq; à ***Solomone*** præscriptæ probè meminerim, de calumniarum diffusarum apprehensione, quibus hominum ineptiæ, quasi tempestatum nubes inhorrescant, vbi deest occasio, ma-

lignitatis

lignitatis imbres eorum in capita, qui magistratum gerunt effundendi; veruntamen, cùm in tam absoluta patientiæ possessione, animam esse meam comperissem, vt nullius in potestate calumniatoris sit, quietæ tranquillæq; mentis pacem conturbare, æquum existimaui, silentium abrumpere, & quò responsio mea rectiùs perciperetur, primò exemplar, ex vno ipsorum scripto autographo proponere.

Cuius tenor subsequitur.

Comiti Sarisburiensi.

CVm recens illud (Domine mi) minimè approbandum sceleratissimumq; molimen in interitum regiæ Maiestatis, Principis, & Nobilitatis, aliorumq; complurium virtute & dignitate præstantium (attentatum à nonnullis, ad audendum proiectis, magisq; inflammatis & turbulentis, quàm religiosè deuotis & moderatis Catholicis) vniuersum Catholicæ causæ nostræ statum, apud eos, quorum deprauata iudicia, culpam professoris ab ipsa profes-

sione euentilare ac secernere minùs valent, ita scandalo obnoxiam reddiderit, vt qui nunc religionem eam colere reperiatur, pro certo habeatur, animo saltem, inhumanissimum illud barbarumq; incœptum comprobare, à quo tamen Deo teste (perinde ac Puritanorum quiuis) abhorreat: Cùm etiam, qui Regi sunt à consilijs nonnulli (tuq; imprimis Comes, qui huiusmodi in rebus gerendis, à charitate alienis, Primus esse motor, (vt Philosophi verbis loquar) passim innotescis) in animo habeant (quod timetur) tam fœdi scandali opportunitate arrepta; vel præsenti exilio, cæde promiscua, carceribus; vel alia consimili aliqua vexatione ærumnáque intolerabili: ac Parliamento fortassis hoc proximo leges aliquot in Catholicos crudeliores, magísque horrendas, quàm vllæ hactenus latæ sunt, decernendo, omnem Catholicæ religionis memoriam extirpare: Præmissis omnibus satis animaduersis & perpensis, quidam sunt viri boni, qui pro suo ardentiori desiderio religionem Catholicam continuandi, totq; animas & in præsens tempus, & in omnem futuram posteritatem conseruandi, tanto occurrere malo, etiam cum certissimo vitæ suæ dispendio, statue-

statuerunt. Hinc igitur monitum te intelligas, oportet, quinque impræsentiarum esse, qui de morte tibi inferenda seorsim conspirârunt, seseq; ad illud facinus exequendum, si in stratagematibus huiusmodi tragicis in Recusantes indies machinandis, perseueraueris, sumpto dudum beatissimo Sacramento, deuouerunt obligaruntq;. Ita res composita est, vt nemo vnus è quinq; istis, qui sint alij quatuor rescisca, quo meliùs cæteris prodendis præcaueatur, si quis vnus, attentando, re infecta caperetur. Iamdudum etiam conuenit, quis sclopeto negotium hoc primus aggressurus sit, & qui suo ordine subsequentur. Qua quidem in re gerenda, nihil nisi certissima mors expectatur, quam tamen lubentissimè sunt amplexuri, ad illas generales calamitates amoliendas, quæ ex transcendenti hac tua apud regiam Maiestatem authoritate & gratia, nobis omnibus intentantur. Atque hîc sanè difficultates eo sunt faciliùs deuorandæ, quòd è destinatis aggressoribus duo, ea corporum valetudine infirma sint, vt tertium vltra quartumue mensem, in viuis esse non possint. Alij tres & sua, & amicorum causa, eò sunt angustiarum redacti, vt præsente suo dolore (quòd so-

lùm Recusantes sint) ad omnem mortis cogitationem magnopere hebescant. Quo in facinore suscipiendo, nemo quisquam est culpandus (si vera rerum censura agatur) Deum enim attestamur, nihil nobis quòd scimus remedij vsquam gentium, reliquum esse aliud: quandoquidem istuc constet, te vice faculæ ignitæ & sulphuratæ fungi, ad regis animum inflammandum (cui quod pessimè optamus, est, vt tantus in cœlis diuus existat, quantus est in terris Rex) ad omnia maleficia, in miseros attritosq; Catholicos procuranda. Atque ita beneuola hac ad te admonitione vsus, quæ nonnullis fortasse alijs tibi inferioribus (saltem gratia ac fauore) dehinc sit necessaria, si rabie illa sua priore inhumana minimeq; Christiana, in nos sæuire perrexerint; Pluribus supersedeo, tibi in mentem reuocans, quòd vbi alta & spiritualis resolutio semel extiterit, ibi periculis omnibus non obstantibus, præpotentem vlcisci satis etiam infirmus valeat.

Amplitudinem tuam benè
monentes amici,

A. B. C. &c.

Postscrip-

Comiti Sarisburienſi.

Poſtſcriptum.

Fieri poteſt, vt Dominatio veſtra has tanquam ab aliquo Puritanorum confictas literas eſſe ſuſpicetur, ad te in Recuſantes eo pacto magis accendendum. Atqui non ita eſſe, ſub diſpendio noſtræ ſalutis atteſtamur, nec poſſe quicquam, coniectura humana, incœptum hoc præuertere, niſi tuum in Recuſantes animum commutaueris.

HAEC de verbo in verbum, ex eorum inſimulationibus, vna cum ſit; quia non eſt mihi animus aberrandi longiùs, quàm quo calumnijs ſuis, tanquam ſemitis quibuſdam, me deducunt: ad quaſdam eius partes tantummodo reſponſum dabo meum, illæ licèt ſic propoſitæ ſint, vt me ab omni ordine, & Methodo diuertant.

Ad partem igitur primam, in qua ſcripturiens iſte, *Catholicorum nomine*, facinus hoc prorſus improbandum, ſceleratiſsimúmq;

molimen auersatur, dicendum mihi paucis est: quod qui orationem *Sixti Quinti Panegyricam*, de *Henrici* tertij Galliarum regis cæde perlegerit, facilimè poterit intelligere flagitium illud, *Iudithæ* in *Holophernem* : acto, quo populum Dei vindicauit, anteponi; vnáq; etiam exemplis alijs compluribus animaduertere, quantopere nostri vniuersim propendeant aduersarij, ad illa solùm malè & perperam intelligenda, quæ fine & effectu destituuntur, (alioqui enim *Fælix scelus virtus vocatur*:) quibus illud quod vulgò omnibus innotescit, superaddi potest, quàm multi authores Romæ celebrentur, qui doctrinam de regibus abdicandis pugnacissimè defendunt: Verùm cùm mihi semper cordi fuerit, ex propria natura cæteros effingere: sempérq; in votis habuerim, vt dilucida aliqua certáque ratione inita, Orbis Christianus, ab omnibus illis pernitiosis Machinatoribus, qui non pacem consolidare, sed turbas dare, & confusione omnia inuoluere studeant, liber esset & immunis: Iamdiu equidem indolui, illos qui tot seditiosis hominum ingenijs vtuntur, ad papistas indoctiores

ctiores in illis de abdicandis principibus myſterijs, indies inſtruendos, per publicam aliquam, & definitiuam ſententiam orthodoxam (in qua Papam errare non poſſe opinantur) non eiuſmodi aliquam apertam explicationem ſuæ, quam in ſummos principes aſſumunt, poteſtatis ædidiſſe, vt non ſolùm ij qui primatum eius agnoſcunt, à coniurationum, in capita ſua per dies ſingulos perpetrandarum (cædem & ſanguinem ſpirantium) timore, & ſuſpitionibus ſecuri eſſe poſsint; ſed reges etiam illi, qui iuriſdictionem eius Papalem nullatenus approbant, lubenter tamen beneuolam & piam erga ſuos ſubditos opinionem retinere cupiunt, perſpectum haberent & cognitum, quouſq; in ipſorum fide obſequióq; ciuili, poſsint acquieſcere: vtcunque eos in rebus ad conſcientiam ſpectantibus, à ſe diſiunctos eſſe ſentiant.

Quicunque enim, Excommunicationi vim vel maximam attribuerit, nunquam eam (meo quidem iudicio) vel ex inſtitutione primaria, vel multorum à Chriſto annorum praxi & conſuetudine, maiorem vim comperiet

periet habuisse, quàm spirituali tantùm gratia homines priuandi, & cœli quasi foribus excludendi, sine tamen illa tam crassa & absurda vsurpatione eosdem è medio tollendi, aut è naturæ finibus extirpandi. Adeo vt rescriptum ipsum, *de Excommunicato capiendo*, aliæq; id genus coercitiones, quæ pro politeiarum differentia variæ existunt, à Regum potiùs Christianorum benignitate, qui maiorem constitutionibus Ecclesiasticis obedientiam præstari cupiebant, quàm ab vlla Excommunicationis vi natiua, promanârint: in omni censura Ecclesiastica vitâ relictâ intactâ, *siue fuerat Ethnicus siue Publicanus*: multis etiam Ethnicis hanc nos regulam edocentibus, *Bonos imperatores voto expetere oportet, quoscunque tolerare*. Non possum igitur non mirari, scripta quædam obscura ac vafra, è re nata nuper promulgata, viriq; apud eos primarij nomine asserta, in quibus magno verborum strepitu in eos fulminauit, qui priuata authoritate, in principes quicquam ausi fuerint, tacitâ tamen reseruatione innuit hoc licere, modò mandato publico designetur.

Eiusmodi

quendam famoſum.

Eiuſmodi profectò quiddam, quod ſanè ſinceritati hac in re prætenſæ non minùs fidem detrahit, quàm portentoſum illud ac craſſum *Æquiuocationis* dogma, in Eccleſia Romana tantis laudibus celebratum, quamuis repagula omnia ſocietatis humanæ penitus conuellat. Qui enim locum vnum Diui *Auguſtini* perlegere voluerit (cuius voluminum hac de cauſa folia aliquot euolui) facilè inueniet quòd cum *Priſcillianiſtæ* illi hæretici, à temporum illorum magiſtratibus quæſtione habita, hæreſin ſuam conatu magno diſimularent, reſponſiſq; illis æquiuocis vterentur (quibus hodiè Papiſtæ licere contendunt, omnem veritatem, mentali facta reſeruatione denegare:) ac vim verbis Diui *Pauli*, qui ab vnoquoque veritatem proximo ſuo loqui exigit, interentes, inde perperam argutarentur ac ſi cæteris omnibus mentiri concederetur: Reuerendus hic, quem dixi Pater, dogma illud irreligioſum, breui hac ſententia ſolidè & apertè refutauit. *Corde creditur ad iuſtitiam, ore fit confeſſio ad ſalutem*: *Alioqui* (inquit) *Petrus, qui corde Chriſtum profitebatur, & ore negabat, negationem*

nem suam tot lachrymis nunquam diluisset. Istuc enim esset sanctos Martyres exhonorare, imo verò auferre sancta omnino martyria, eosdemq; omnes stultitiæ arguere, quibus cùm religioni esset, coram Magistratibus Ethnicis quicquam dissimulare, internas animi sui cogitationes & confessiones oris ijsdem verè consonas sanguine suo obsignârunt. Nec quisquam aliter dicat, nisi qui res humanas, omnesq; conatur mores & leges, vniuersamq; vitæ probitatem subuertere. Vnde dictus ibidem Pater in hanc prorupit Expostulationem: *O vbi estis fontes lachrymarum? & quid faciemus? quo ibimus? vbi nos occultabimus ab ira veritatis?*

Ad partem verò secundam quod attinet, in qua tot cædes ærumnásq; Catholicis imminere, nonnullasue leges atrociores (quàm iam sunt constitutæ) in Parliamento ferendas, pertimescitis, méque hîc tanquam faculam ignitam futurum calumniamini; liceat mihi vobis enarrare, Inania hæc esse terriculamenta, quibus improbus Impostor aliquis tanquam speculis fallacibus vsus fuerit, ad metus vestros exaugendos.

Ca-

quendam famoſum.

Calumniæ iſtæ ieiunæ, ficulneis *Adami* folijs ſimiles, turpitudinem veſtram nequeunt obuelare. Vt enim ille tegumentum, non quia nudus, ſed quia lapſus indagabat: Ita vos mala veſtra, non metus, iniquas illas contumelias, in principem veſtrum ac rempublicam accumulare concitârunt. *Sed pereuntibus millæ figuræ.*

Homines illi qui in conſcientias veſtras dominium exercent, primum oculos veſtros terrificis ſed inanibus ſpectris perſtrinxerunt, ſpe quadam, cœptis ſuis pernitioſis vos altiùs immergendi.

Cum *Nerone* Romam incendere, ac deinde crimen in Chriſtianos transferre, contenderunt.

Sic, ſic illa credulitas veſtra, fallacibus vmbris illuſa fuit, cùm ſapientiæ filij ad credendum ſoleant eſſe tardiores.

Si ergo vobis, veram iſtarum rerum menſuram ad temporum regulas adhibuiſſe, prę-teritáque cum præſentibus contuliſſe contigiſſet, fieri non potuit, quin de futuris meliùs fuiſſetis concluſuri. Nam ſi in duarum ſororum ac reginarum, in religione diſcrepan-

tium, quæ proximè præcesserunt regimina respiciatis, plus sanguinis, in quinquennio aut sexennio prioris, quàm quadraginta quatuor annis posterioris, effusum comperietis.

Perpendite etiam, an à tempore, quo rex iste imperio potitus est, vlla, vel minima cruoris effusi vestigia conspexeritis. Ecquid ille ad superiorum temporum leges, quæ iam multò antè erant stabilitæ, aliquid nouæ seueritatis adiecit? annon eas mitiores in aliquibus reddidit? & executioni demandari distulit? etiam in eos, qui tubæ clangore, diuortij sententiâ, inter subditum & supremam eius authoritatẽ promulgârunt? Liceat mihi ad ipsas vestras conscientias prouocare (quæ in singulis & iudicis & testis locum tenent,) num in instanti istius ignitæ proditionis furore atque impetu, quæ tot contra omnes in vnum Papistas inflammârit, (pro subita periculi natura, iustam distinctionem ægrè admittentis) quicquam cruentè crudelitérue gestum fuerit? quamuis omnes nôrint, quòd vis, vel maxima summáq; rabies in huiusmodi rebus, sub publicæ salu-

tis

tis specie, curæ & prouidentiæ veri effectus haberentur. *Nam crudelitas si à vindicta, iustitia est, si à periculo, prudentia.* Imo potiùs egregiam insignémq; Regij animi moderationem ob oculos proponite, qui cum addubitaret, quid indignationis repentinæ perturbatio, tali tempore posset producere; postquam laudum gratiarúmq; erga Deum officio perfunctus esset, in ipso publico Ordinum regni conuentu, pronunciauit, quantum ab illo abfuerit, paucorum ob noxam, omnes in vniuersum condemnare. Quibus quidem omnibus in vnum collatis, minimè dubitandum censeo, quin ij, qui nequitiæ desperata lue non contabescunt, liberè & ingenuè fatebuntur, Regem nostrum esse principem Pacis & Misericordiæ, qui Catenarum compedúmq; strepitu minimè delectetur, sed potiùs cum Theodosio, supplicium sumere cunctetur, exoptétque *Se potuisse potiùs mortuos à morte reuocare.*

Iam verò, quod ad potentiam illam imaginariam, quam vobis collubet, nobis qui Regiæ Maiestati sumus à Cõcilijs, ascribere, quo in numero, me in Romanenses Catho-

licos machinatorem fingitis Primarium: equidem mihi honori & fœlicitati semper esse ducerem, non iniuriam modò, sed ipsam etiam persecutionem subire, in tam honoranda societate, in qua viri tam nobiles, & amplitudinis iudiciiq; tanti, partes agant suas. Isti optimè cognouerunt, Consiliarios Regios pro millenis centenisuè esse constitutos, prout solùm ex principum voluntate atque arbitratu collocantur, suámq; eminentiam omnem, ab officijs studiisq; humilimis solummodò prouenire, eatenus demerituris, quatenus benigno animo & acceptione gratiosa æstimantur. Veruntamen quia me tanquam membrum à corpore diuisum segregâstis, et illo aspero epitheto quale est *Boutefeu* exornâstis; vobisq; complacuerit, nomen meum, ad reipub. in qua spiritum ducitis ignominiam, mutuari, liberè istuc mihi sine acerbitate dicendum est vobis, quod vtcunq; in rem vestram ad tempus cedere videatur, me maleuolentiæ vestræ metam designare; qui tamen rectè de spiritu ac impetu quo scriptor iste fertur iudicauerint, haud facilè conijcient, Factionem hanc ad

aliud

aliud vllum, quàm Authoritatis corpus collimare. Non caput ſolùm, nec particulare aliquod membrum eſt, ad quod homines hij collimant: Eccleſiam Rémq; publicam petunt, quæ tanquam Hippocratis gemelli, diu fleuerunt vnà ſimúlq; riſerunt. Hęc illa ſunt, quæ temporis huius inimici ſubuertere moliuntur, non vllam potentiam exilem meam, qui inuidiæ oculis tantummodò præpotens eſſe videor. Imo potiùs Ariſtoteli ſuccenſent, prudentibus imperanti principibus, Factionem deprimere, ſemper humilem & humi repentem, donec clauem poteſtatis fuerit conſequuta. Malè eos habet, vel potiùs animis franguntur, talem politeiæ & Conſilij vnitatem intueri, quæ orbi terrarum audeat intimare, id ab ipſo eſſe faciendum quod ſibi fieri concupiſcat. Hæ veræ illæ ſunt, deſperationis & indignationis eorum cauſæ, tam liquidò & exploratè cognitæ, vt principijs valdè infirmis fidem ſint aſtructuri, ſi cogitauerint, aperta in exitium meum vota (momenti rem tantuli) poſſe eos, à ſuſpicione machinandi incœpta atrociora liberare.

Nunc autem quod tertio loco ſuccedit, eorum

rum scilicet protestatio, ad nouas calamitates in posterum deuitandas, viros quosdam sanè bonos, spirituali quadam resolutione ductos, è medio me tollendi consilium inijsse, eósq; numero quinq; existere, arctissimo sacramẽti vinculo ad id ipsum obstrictos clanculum, è quibus duos esse ea corporis infirma valetudine, vt vix dispendio duorum triumue mensium vitæ suæ pœnas luere possint: Hominibus hisce istuc solummodò dicturus sum, patrem ipsorum spiritualem, quandoquidem à sepulchro non longè pedibus absunt, minimas promereri gratias, cuius opera ac consilio, feretro loculisq; sanguinolentis eò deferentur. Nec enim præ se ferunt signa Romæ Ethnicæ, nec Romæ Christianæ. Nam sub Imperatoribus ethnicis, ludibrio fuerunt illę victorię barbarè malisq; artibus acquisitæ, *Mixtis veneno fontibus:* Româ item pu. â ac primitiuâ, preces, ac lachrymæ Ecclesiæ Arma fuisse reperientur. Nunc autem quæ isti reddunt oracula, tam longè à priore Ecclesiæ illius antiquæ sinceritate degenerârunt, vt homicidium, spiritualis magnitudinis titulo honestent, regibusq; adeo

ipsis,

ipsis, (spirantibus Dei simulachris) exitium palam comminentur, cùm Propheta Dauid, fimbriam vestimenti Regis Saulis violâsse, totus animo cohorruerit.

Quæ si perpendantur omnia, non dubito Recusantes eos, qui pernitiosa istiusmodi hominum ingenia internoscant, è luce ignis istius clarissimè perspecturos esse, caliginem ac periculum Religionis illius, cuius fides tam cæcâ implicitâq; obedientiâ inuoluitur: tantóq; magis, quia toties vsu euenit, conscientiæ scrupulos ac proditionis semina, sic simul succreuisse, vt siliqua & granum vna in spica solent coalescere. Proinde mea quidem sententia, homines illi, qui Papistas indoctiores tanquam accipitres, obuelatis oculis in dogmata illa pernitiosa deducunt, iure quemuis incusare possunt, qui titulorum huiusmodi *Boutefeux* & fomitum igniferorum debitam ipsis gloriam conabitur præripere. Hi enim sunt, qui Ecclesiam suam in aulam Regiam conuerterunt, qui religionem suam ambitioni mancipârunt, quiq; ad honores terrestres tàm inflammato studio rapiuntur, vt *inter summa & præcipitia* nequeant distin-

guere. Hi sunt qui hominibus imperant, Deum suum ex pacto sanguinario manducare, cùm ij quos calumnijs infectantur compertum habeant, quicquid Deus affectet boni, modis id eum mediúsq; bonis efficere. Atq; vtcunq; ab illis, sacramenta nostra nuda & inania signa nominentur; verè tamen à nobis affirmari potest, illa nos hactenus nunquam in homicidij combinationem, clamantiumue scelerum contubernium adduxisse.

Quod ad id genus attinet eorum, qui tanto se in præsens dolore perculsos esse prę se ferunt, tam ex sua quàm amicorum calamitate (eo ipso nomine quod Recusantes sint) vt ad omnem sensum mortis hebescant: qui animo in eos minùs sunt propitio, hebetudinem hanc, *Plus esse tristitiæ, quàm penitentiæ*, præque mœrore magis, quòd incæptum illud successu caruerit, quàm quòd animo conceptum fuerit, iudicabunt.

Ad machinatores verò & stratagemata quod attinet, de quibus conqueruntur; si qui ad coniurationes præueniendas medijs vtuntur licitis machinatorum nomine proscrip-

scriptionéq; digni censendi sint; quo pacto eorum censuram regia maiestas effugiet, qui in terra fuit ab ipso Deo minister designatus, ad hoc particulare scelus detegendum? Aut quem tandem in finem, Principes vel Consiliariorum cura, vel Secretariorum vigilantia vtuntur? (quorum muneris est Regum vitæ regnorúmq; saluti excubare) si conatus eorum, in occultis proditionum cuniculis indagandis, tam malignæ & probrosæ interpretationi exponantur? Aut si stratagematum nomine leges illas intelligant, quibus omnes proditiones, & læsæ Maiestatis ramuli iusto supplicio præscindantur: quid est quòd obliuiscantur, decreta illa, annis, ante mea incunabula, ducentis, à Parliamẽtorum prudentia deriuari? Præterea, si qui in paucorum, nedum, in vllius vnius potestate situm esse arbitrentur, siue decreta atrociora extorquere, siue nouas leges in Parliamento pro suo arbitratu procudere: illi nec leges condendi rationem, nec legum latarum prudentiam, grauitatem, aut conditionem, satis intelligunt in nostra repub: in qua Reges ipsi, (à quibus tanquam à centro,

omnis legum vita, atq; executio originem ducit,) liberrima subditorum suorum suffragia, etiam negatiua, æqui bonique solent consulere.

Iam verò ad me quod attinet, quocum paciſci velletis vt machinari (ita vobis lubet loqui) in Recusantes desistam; Primùm quidem discretio me docuit, quòd, vt agricola qui obseruat ventum non seminabit, & qui considerat nubes tempestiuè nunquam metet; ita seruus ille cuius fides ac zelus, in regum negotijs obeundis, inimicorum vel potentiam vel inuidiam reformidare occeperit, nec fauorem, nec patrocinium promeretur. Cùm enim in Principem, cui deseruio, respicio, non aliena fide gubernandi prudentiam sibi comparantem; sed in proprio pectore, boni ordinis *Iethro* circumgestantem, causas minores ad præfectos centenis quinquagenisq; deferentem, sibi ipsi maximas, vtpote maximo, reseruantem, Regem sanè multorum annorum regnandi experientia ditatum, populo, & natura, & loco, & disciplina, libero & animoso, imperantem: Ego quidem ingenuè & coram mea propria,

pria, & coram alijs omnibus gentibus profiteor, quòd quamuis vanitati & stultitiæ non communicem muscæ illius, quæ cùm curriculi rotæ insideret, puluerem omnem se concitâsse gestiebat, ab animo tamen eo tam longè absum, quo me Domini mei gratiam honestè ambire abnuerim, vt creatura eius ab omnibus haberi discuperim, non tàm de honoribus immeritis, quos munificentiæ potentiæq; eius acceptos fero, quàm de cupiditate qua teneor vehementi, mentis eius vmbra censeri, iudiciáq; adeo mea, scientiam ac studia omnia, ad eius animum & voluntatem efformare, erga cuius maiestatem regiam, honesti humilimíq; subditi nomine plus semper gloriabor exornari, quàm in vllo alio vitæ genere, rerum summa potiri.

Quod ad cætera attinet, quæ me in religione mea attingant (vtcunque intermedio isto peccati & fragilitatis humanæ velo obscurata) illa quidem Spei Fideíq; fundamentis sacrosanctis nititur, in sanguine Redemptoris mei precioso, sine vlla meorum fiducia meritorum.

Quod autem asserant, eos alienæ vitæ esse Dominos, qui contemnunt suam, hoc à me responsum terant, nihilo plus eos, quàm vel minimam araneam posse, quæ permissa facultate tantundem possit efficere. Vitæ autem meæ dies, si in ipsorum potestate essent constituti; sicuti nonnullos forsan lætitiæ menses mihi eriperent, ita me sat scio, tristitiæ aliquot annis præriperent; verùm miseris hisce minis, & verborum terriculamentis inanibus, nulla spes mea percellitur: non sum eorum è numero, qui cum prisci sæculi mortalibus, talpis suffodientibus, montes credunt contremiscere. Longè etiam à me spero aberit, qui, cuius sacro in Codice dies mei sint descripti, exploratissimum habeam, vel cogitare quidem, tantillum temporis tanto pretio redimere, ob vllius mortalis quantælibet metum potentiæ, pro virili mea, *Aut Deo, aut Patriæ, aut Patri patriæ deesse.* Nam cui dubio esse potest quin Magistratus, in tanta ingeniorum varietate versantes, tempestates aliquãdo sint subituri? Actiones nostræ omnes in scena prostant aperta, nec plusquam ipse sol possunt occultari.

tari. Si malè promereamur, malè audiemus: aut ſi ætas quam agimus, nobis fuerit aſſentatrix, decurſo tamen ſtadio (quod nobis non poteſt eſſe diuturnum) gloria illa, quæ viros præſtantes vitę eſſe ſempiternæ facit, nobiſcum morietur, ignominiæq; noſtrę hæreditas, ad poſteros noſtros perueniet. Proinde *ſuadeat loquentis vita non oratio.*

Præterea, illius erroris Ieſuitici, qui vt res omnes mortales, vim ſuam ac robur & ſenectutem habet, fundamenta iamdudum ſunt retecta, captęq; arces, vt credibile ſit eouſq; eum cum ciuili Regum Principatu colluſurum, quoad Regum ſit futurum opus glorioſum, mœnia eius, firmiſsimáq; propugnacula perfringere ac demoliri: ideóque ſeruis minimè conueniet, odij metu gradum ſuum remittere, quin potiùs pro certo habere, fidelem Deo operam nauantibus, veſperum, atque noctem tempeſtiuè, & ſucceſſiuè ſuperuentura: fides eorum priùs aſcendet, fama poſtea in æternum permanebit.

Vt paucis concludam, cùm Deus tam ineffabili nos miſeriarum, atque afflictionum,

quæ

quæ nobis imminebant, diluuio, dignatus sit eripere, calamitati illi Hierosolymitanæ similimo, de qua propheta, Quando lucerna eorum luce lucet clarissima, & quando in pacis amplexibus obdormiscunt, ecce tum visitationis eorum tempus erit: cùm etiam istuc, in diebus imperij iustissimi clementissimíque regis, nobis contigisset, quando vnusquisque sub vite ac ficu sua lætaretur; & ad Gentis nostræ dignitatem, & ad animarum nostrarum salutem, in omnibus vitæ officijs, tam Diuinis quàm humanis, ita nos comparemus, perfectéque informemus, vt (præ crassa ignorantia nostra) confusionis nostræ authores, ipsi minimè existamus. Nemo fucatam illam, iurisiurandi amicis priuatis seruandi dignitatem, tanti faciat, vt eorum gratia, Principi, Patriæque fidem suam frangat. Vultis, inquit *Seneca*, veros amicos inuenire? Inter recta officia quærite, ibi eos reperietis. Sic Iuris Canonici elogium est, *Non est appellanda fides, quæ ad peccatum inuitat.* *Tullius* in suis Officiorum libris, inter *Patrem* & *Patriam*, officia differens: Si inquit patriam prodere conabitur Pater, silebitne filius?

Imò

Imò verò obſecrabit Patrem ne id faciat: ſi nihil proficiat, accuſabit, minabitur etiam. Ad extremum, ſi ad perniciem patriæ res ſpectabit, Patriæ ſalutem, ſaluti Patris anteponet. Etenim approbata iſtæc Regula eſt; *In promiſſorio pro re iniuſta, iurans illicitum, obligatur ad contrarium.*

Cùm ergo Deus, tanto nos miraculo à confuſione iſta liberauerit, ad cuius fundum mens humana (quæ ab oriente ad occidentem momento peruolat) nullo pacto peruenire poterit; memorabili aliquo conſtantíq; gratitudinis exemplo, omnibus faciamus innoteſcere, nequaquam nos, ſolitum iſtuc prouidentiæ diuinæ factum deputare, nec quiddam Coniuratorum imprudentiæ, erroriue vlli, quo minùs illis ſucceſſerit, imputandum, ſed potentię tranſcendentis opus eſſe admirabile, quo ſuum Deus in rebus humanis adminiſtrandis morem ac conſuetudinem longè exuperauit; qui, quanquam ad tempus conniuere ac cedere videatur, ac-ſi minùs attenderit, quo pacto fines propoſitaq; ſua homines conſequantur; (permiſſa illis tanquam herbis venenoſis creſcendi

facultate) tandem tamen maturitatem suam assequutos excindet, veneníq; plenissimos ad aliorum medicamenta euellet, qui scorpionem id olei circumferre fecit, quo vulnera quæ infligit, persanentur. Quibus hunc etiam Fidei gradum adijciamus, quòd vt locus, cædi huic prodigiosæ perpetrandæ designatus, locus idem est, in quo vires nacta fuerat religio illa antiqua Primitiuæ Ecclesiæ, ad excutiendum vincula & compedes corruptelæ Romanæ sub qua diuturnam seruierat seruitutem: ita quoad Fides illa religiosè, sanctè, & constanter à nobis percoletur, nullius in potestate mortalis vnquam erit futurum, vel minimum sacrosancti illius firmissimíq; fundamenti lapidem angularem concutere.

Calamo hactenus meo ad suum stadium decurrendum, laxiores habenas remisi, quo animum meum alleuarem, grauioribus cogitationibus (instar parturientis) laborantem, quàm vt vel silentio continere vel ordine possem explicare; spe certa fretus commentationes meas, beneuolam accepturas interpretationem, quippe honestis humilibúsque

búsque cancellis circumscriptas. Si cui videbor, leuiculam hanc incerti authoris calumniæ respondendi ansam arripuisse, sic rectè de me sentiatur velim, haud quenquam, istæc terriculamenta, chartásque emortuas (cuiusuis venti ludibria) cituùs fastidire voluisse quàm ipse vellem, nisi tot ab exteris partibus data internuntia, tot domi confessiones habitæ (calumnię huic consonæ) expeditam aliquam à me ineundam rationem suo quodam iure vendicarent, qua tantulam existimationem meam, à tam sæuis hisce ignominiæ maculis tuerer. In qua consideratione, etiamsi desideria quidem mea, dies multos terendi, in circulum perinde angustum, ac timores mei coarctentur, animo etiam ac iudicio ab ea deiectione & infirmitate longè absim, vt argumentorum vlla aut protestationum vi, certæ ac deliberatę sententię mutationem, vel moliar vel expectem; cum tamẽ illius *Senecæ* meminerim, imperia etiam maxima ac splendidissima, cruentis legum lineis redundantia, tantũ sui splendoris amittere, vt non minùs deformia, quàm ignobilissimæ lanienæ euadant; cùm etiam sci-

am, summum vtiq; Iudicem nostrũ mundíq; Seruatorem, qui singulis peccatorum generibus, singulas voces apponi sinat, sanguinis vocem, tam altè clamantem effinxisse, vt cœlum ipsum penetret: tâm bene mihi de ęquis omnibus iudicijs polliceor, vt nunquam defensio hæc mea, curiositas minimè necessaria habeatur; *Quia inauditi tanquam innocentes pereunt*; præsertim cùm mea mihi ita clarè suggerat conscientia, quòd vt Clementia regnorum custos est fidissima, ita Crudelitates, præ alijs omnibus fallacissima sunt satellitia.

Si dicatur, in Catholicis Romanis vniuersim perstringendis, asperiorem me fuisse, quòd a nonnullis sectæ illius infestis hominibus, iniuria affectus sum: equidem ingenuè fateor, neutiquam mihi persuasum esse, istiusmodi malitiam, cui nulla parallela est, in corda vnquam illa incidere posse, quibus vlla conscientiæ semina conseruantur, aut quinque hosce, specioso prætextu, viros bonos appellatos, in hoc scelus conspirantes, aliquo religionis vllius sensu prorsus tangi, sed potiùs impij illius Sodalitij reliquias

as diſsipatas cenſeo, quibus oculi atque animi quotidiè ſauciantur, tot ſerenas tam atram ſubſecuturas diem cernere, quæ etiam infanti nondum nato miſeriam præparauerat.

Poſtremò, cùm mihi in mentem veniat, qua obedientia atque applauſu, ſub exceſſu Reginæ *Elizabethæ*, fœlicis memorię, vtriuſq; profeſsionis homines, in ſucceſsionem Regiæ Maieſtatis, concurrentes conſenſerint; & nunc etiam animaduertam, quantulæ ſuppetiæ, immanibus illis Papiſtis nuper latæ fuerint, qui pauculos aliquot putréſque ramuſculos contraxerant, arboribus eiuſmodi carioſis aridiſque deciduos, quibus Chriſtus in Euangelio maledixerat, inde ſperantes ignem ſe accenſuros, incendiúmque aliquod grande in Repub. conflaturos; Tametſi Deum comprecari nunquam ceſſabo, vt illis frui diebus fœliciſsimis aliquando detur, in quibus vnicam Religionis veræ formulam tantummodò, hac in Monarchia, obuijs vlnis amplexemur; ſemper tamen ex iuris diuini præſcripto, tantum apud me diſcriminis intercedet, inter peccata ex ſcientia,

& illa ex ignorantia, vt in legibus humanis, æquum & iustum fore existimem, *Solùm necis artifices arte perire sua*.

Ad Postscriptum nunc tuum, quo ne eos quos *Puritanos* dicis huius calumniæ authores suspicer, mentem meam diuertere tantopere contendis, loco responsi hoc tantùm est quod dicam; Nequaquam opus fuisse tantum tibi facesseres negotij de ijs ab hac suspicione liberandis; cùm ex *Protestantibus*, nec qui constitutionibus Ecclesiasticis debitè morigeri; nec qui modernæ disciplinæ Ecclesiasticæ minùs sunt conformes, quispiam suas inter se disceptationes aduersas, vel cogitatione vlla, nedum facinore vllo sanguinario, respersisse, meritò vnquam insimuletur. *Et hic baculum fixi.*

Pluribus ego vt respondeam noli à me expectare: dehinc enim in conscientiæ meæ domicilio placidè conquiescam, vbi si bona opera præstem, nihil refert quis ea viderit, sin mala, cùm mihi comperta sint, nihil refert quem illa celauerim: in acta enim publica, coram iudice referuntur, cuius conspectum nequeo subterfugere. Si mundus mihi applaudat

plaudat vniuerſus, ille verò me accuſet, vana omnis omnium futura laus eſt. ***Falli poteſt fama, conſcientia nunquam.*** Si iſtuc minùs ſufficiat, quin minari vſque atque exclamare pergas, mihi quidem patienter eſt audiendum, & cum *Tacito* dicendum; Tu conuitiari didiciſti, ego contemnere: ***Tu linguæ, ego aurium ſum Dominus.***

✤ ✤
✤